Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

mina flagrantia cum immensurabili sonitu. et non solum hoc. sed et thronos igneos. ait ipsa theologya in celo esse. et ait et ipsos excelsissimos seraphyn ex cognominatione significare celitus ardentes. et distribuit etiam ipsis seraphyn ignis proprietatem et operationem. et ut breviter dicam. omnino sursum et deorsum. ubique honorat selectim. id est specialiter ignitam facturam formarum.

Sequitur. Ergo et igneum et cetera. Ac si dicat. Quandoquidem theologya inveniatur ignea formatione. quod iudico ego igneum significare difformissimum celestium animorum. id est illam virtutem que est in illis difformissima. Et inito. quia ipsi theologi sepe describunt in igne. id est ignis specie. et figurant ipsam supersubstantialem et informem essentiam divinitatis. que et supersubstantialis est per maiestatem. et informis per incomprehensibilitatem. describunt dico in igne. tamquam habente multas imagines divine proprietatis. quantum in rebus visibilibus haberi potest imago divine proprietatis. ita tamen dico si fas est dicere. quod divina proprietas aliquam similitudinem habeat. que valde incomprehensibilis est et invisibilis. Sequitur: Ignis enim et cetera. Nunc ingreditur proprietates ignis describere. in quibus eius naturam et qualitatem et potentiam mirabilem ostendit ac significationem excellentem demonstrat. Ignis sit inquit sensibilis quidem est. sic enim dicendum est. id est quod sit sensibilis. Hoc adiungit ideo. quia aliis forsitan videri poterat. propterea quia natura ignis non nisi in subiecta materia sensu percipitur. ignem omnino corporeum non esse. Dicit ergo quia ignis vere sensibilis est. et corporeus quamvis longe excellentius et subtilius omnibus aliis rebus corporalibus et nature spirituali proximum. ac pro hoc longe dissimilius cunctis aliis effectum suum demonstrans. Ignis in omnibus per omnia clare venit. et tamen removetur ab omnibus. Ipse est per presentiam. longe per excellentiam. In omnibus est quia visibilem se prestat per illuminationem. et longe est ab omnibus. quia perceptibilem se non prebet per descriptionem substantie sue perceptionem. Hoc est quod sequitur. Et lucidus simul est et quasi occultus. Lucidus enim est quia in subiecta materia percipitur. occultus quia